

Q.D. 183. 13  
*de Hypnotica Facila secundum  
Ius Saxonicum.*



PRO-CANCELLARIUS  
**IOANNES GODOFREDVS**  
**BAVER**  
SVMMOS  
**IN VTROQVE IVRE**  
**HONORES**  
PRAECLARISSIMO CANDIDATO  
**M. FRIDERICO AVGVSTO**  
**IVNIO**

LIPSIENSI

D. 27. SEPTEMBER. CID IO CCC XXXXVI.


TRIBVENDOS

INDICIT.



PRO-CALIGELLARIA  
JOVANNIS GODDREDES  
BAUER  
CUMMOB  
IN ATRIOAE TARE  
HONORIS  
TRICENTRISIMO CANDIDATO  
M. HEDERICCO AVGASTO  
I. V. I. O.

1770  
1771



Hypothecam tacitam ius auersatur clientelare, quod  
commune appellari solet. Cuius dispositio obli-  
gationem beneficii non habet ratam, sine consensu  
Domini directi, II. F. 55. nec, eo irrequisito, cer-  
tis casibus clientelam nexui subjicit pignoris. At  
fine lege, vel consuetudine nulla est, nec concipi valet hypotheca ta-  
cita, siue legalis. CONST. E. L. S A X. 25. P. II. ibique CAR-  
P Z O V def. I. et P. II. C. 46. d. 33. IDEM d. oner. vasall.  
feudal. Dec. III. pos. I. n. 17. seq. STRVV S. I. F. C. XIII.  
aph. 7. n. 6. C. XIV. aph. 27. ibique LYNCKER. STRYK  
d. hypothec. tacit. in feud. German. C. II. §. 2. 3. 4. Qua in re  
feudum alienabile a regulari minus recte separaueris. Non enim  
ad stipulor. STRYCKIO d. I. §. 18. concludenti: *vbicunque*  
*in feudi concessione simul concessa est libera alienandi facultas, me-*  
*rito quoque idem subiacere debet nexui taciti pignoris.* Facultas  
rem beneficiariam fine Domini voluntate oppignorandi, vasallo

com-

\* 2



competens, non inducit prouisionem legis, de pignore creditoris tributo, quod cliens debitor non constituit. Quum doctrina iuris Romani de hypotheca legali secundum regulam ad beneficia non pertineat, ipso fatente **S T R Y C K I O** d. l. §. 3. cur eam proferas ad feudum alienabile, eoque a regula deflectas? Clientela ob alienationis libertatem numero beneficiorum non eximitur, at ius Romanum, in allodio ius singulare hypothecae tacitae tratuens, ad allodium restringere stricta iubet interpretatio. Econstatio Sanctio Electoralis Saxonica, de hypotheca tacita in clientela obtinente, disponens argumentum praefstat, quod vsu non destituitur, dum porro ad feudum progredimur alienabile. Et in genere quidem quatuor species beneficii tacite oppignorati adprobasse videtur Elector Saxoniae. Nam primo vxor dotem vasallo illatam, cuius causa dotalitium non est constitutum, et ad cuius solutionem bona debitoris allodialia non sufficiunt, ex clientela petit, quae reliquis mariti creditoribus, etiam hypothecam habentibus expressam, sed posteriorem, praefertur. o. p. s. **Tit. XLV. §. II.** Deinde filia dotem, quam bona non suppeditant hereditaria, ex beneficio consequitur paterno, ante creditores, qui expressa quidem, sed posteriori gaudent hypotheca. d. **Tit. XLV. §. 13.** Porro feendum, quod tutor vel curator a Domino, ipsum constitueret, recognoscit, pupillo vel minori tacite obligatur in subsidium, si alia tutoris, vel curatoris bona non praestent satisfactionem. d. **Tit. XLV. §. 14.** Denique ecclesiis, scholis et hospitalibus eadem, qua minoribus, ratione, clientela debitoris iure hypothecae legalis subiicitur in subsidium, aliis deficientibus bonis. d. **§. 14.** Hypothecam legalem, vxori et filiae indultam, insinuare videntur verba d. **§. II. aus dem Lehn. et §. 13. andas Lehn, ob es schon in andre Haende kommen waere,** nec non rubrica tituli, quae tractationem de hypotheca profitetur tacita. **C A R P Z O V** d. oner. vasall. feudal. **D e c . III.** pos. 2. n. 3. seqq. pos. 3. n. 5. seqq. **S T R V V** S. I. F. C. XIV.

aph.



aph. 27. S T R Y C K d. l. §. 26. 32. Nihilominus alii non tam  
 pignus legale, quam ius praelationis, vxori et filiae in concurso  
 creditorum competens, propugnant. HORN I.F.C.XXI. §.12.  
 seqq. Quum vtrumque debitum oneribus accenseatur feudalibus,  
 quae, cessante licet hypotheca, ab omni petuntur successore, ita,  
 vt reliquus pignoris vslus in commodo prioritatis inter creditores  
 consistat: istius resolutio dubii vix aliquid vtilitatis habet. Ve-  
 rumtamen habet in visione iam adducenda. Nimirum O. P. S.R.  
 ad d. Tit. XLV. omnes quidem hypothecas tacitas, cum iure prae-  
 lationis, abrogauit, postea vero in M A N D A T O E L E C T O R A-  
 L I d. d. 24. Septembr. c i o i o c c x x x i v . als setzen, ordnen  
 vnd wollen wir, dass das stillschweigende Vnterpands-Recht nicht  
 allein bey denenjenigen, so dergleichen vor Publication mehr ange-  
 zogener erläuterten Process-Ordnung bereits würcklich gehabt, hin-  
 führō bis zu vnserer anderweitigen gnädigsten Verordnung bey sei-  
 nen Kräfften annoch verbleiben, sondern auch denen Ebeweibern, so  
 nach der Zeit geheurathet, oder noch in zukunft heurathen mæch-  
 ten, denen Kindern, deren Vermoegen nachgebends ihnen zu- und in  
 derer Væter Hænde gekommen, dem Fisco, denen piis causis, misé-  
 rabilibus personis, deren Güther nach der Zeit unter administrato-  
 res verfallen, oder in zukunft noch dabin verfallen mæchten, nebſt  
 dem iure praelationis, nach Unterschied und Disposition derer Rech-  
 te, nach, wie vor, zufehen, und also die tacita hypotheca, jedoch  
 ohne Extension auf die Vermæchtnisse (als respēctu welcher die  
 in der erläuterten Process-Ordnung ad Tit. XLV. §. 4. enthal-  
 tene Disposition in ibrem vigore verblebet,) bis zu weiterer Ver-  
 ordnung statt haben solle, pignora legalia, vna cum iure praelatio-  
 nis, sicuti ante Ordinationem recognitam valuerunt, sunt conser-  
 vata, excepto vnico, quo olim legata et fideicomissa gaudebant.  
 Iam si per Ordinationem Processus Saxonici veterem filiae, dotis  
 consequendae cauffa, hypotheca concessa est tacita in beneficio



paterno, genuina non adparet ratio, cur non eadem in dicto mandato, et si filiarum mentio non fiat expressa, restituta censematur. Neque tamen censematur restituta, sed filia, dotem ex feudo petens, creditoribus adnumeratur chirographariis, veluti quotidie Ordo I<sup>c</sup>torum Lipsiensium pronuntiat, et eiusemodi sententiae, in caussa creditorum A. A. v. S. Mens. Septembr. c<sup>ir</sup> 10 CC XLII. latae, Summum Prouocationum Senatum Dresensem, post interpositam appellationem, d. 8. Febr. c<sup>ir</sup> 10 CC XLIV. accessisse, eamque, non attenta leuteratione, d. 5. Septembr. d. a. confirmasse recordor. Cuius rei alia dari nequit ratio, quam, quod in Ordinatione Processus Saxonici vetere filiabus vasalli hypotheca tacita non credatur tributa, sed tantum ius concessum praelationis. Quod in dicto mandato non videtur restitutum, quia filiae silentio praetermittuntur. In quo quum iuris praelationis, et vxorum expressa fiat mentio, hae benigniora experiuntur fata, dum secundum praelationem, qua ante Ordinationem recognitam usae, inter creditores, ad feudum concurrentes maritale, locantur, quantumuis hypotheca legalis in Ordinatione vetere illis non dicatur indulta.

In duabus posterioribus speciebus, quibus de minoribus, nec non ecclesiis, scholis et hospitalibus agitur, veteris verba sanctonis, pignus largientis tacitum, vtique magis sunt clara, verumtamen effectus hypothecae coercetur, dum disponitur, quod ea simul inuestitis nocere non debeat. Quum enim ius pacto quae situm nequidem legi dictione adimi valeat, consequitur, beneficium in praeiudicium simul inuestitorum non posse hypotheca onerari legali, sine eorum consensu. Qui quin ad feudum alienabile obligandum non requiratur, verba finalia dicti Tituli XLV. es soll aber gleichwohl die hypotheca denen Mitbelehnten nicht zu Nachteil gereichen, sondern dieselben ihr ius an Lehn saluum et integrum behalten, illi, qui clientela simul inuestitus est alienabili, non patrocinantur, sed hypotheca legalis, minori et piae competens caussae, etiam illi praeiudi-

praeiudicat. Quando enim lex beneficium expresse obligat pignori, tum recte, ut opinor, concludo: *clientelam, pignore gravatam tacito, cum hoc onere ad quoscumque possessores, etiam simul inuestitos, transire, quoties ea cum libera alienandi facultate est concessa;* quia simul inuestiti iure quaesito, quod saluum et integrum sit seruandum, destituuntur. Non, velim, obiciias, feudum, cum potestate alienandi a Domino datum, sine consensu simul inuestiti alienari non posse; facultatem alienandi ex conuentione vasalli cum Domino descendere; pacta inter pacientes tantum producere obligationem, quae tertio neque noceat, neque profit, c. 8. X. d. transact. l. 27. §. 4. d. pact. l. 24. C. Eod; inde libertatem alienandi, vasallo concessam, Domino concedenti et pacienti quidem, sed non aequa simul inuestito nocere, qui, communem adquirens manum, nec de potestate alienandi vasallo competente paciens, de feudo proprio, minime vero de alienabili simul inuestitus videatur. Evidet haec rationes euincunt, quod communis manus, alteri quaesita, prohibeat, ne in eius praeiudicium nova iniri conuentio, nec alia qualitas, quam, quae tempore concessae simultaneae inuestiturae beneficio cohaesit, illi adiici possit, quemadmodum intelligo, quae dixi *Disp. de consolidat. feud. temporar.* §. XXXIX. in fin. d. hypothec. feud. absqu. consens. agnator. et simul inuestitor. subsistent. §. XXXV. de vasallo exheredante. §. XIX. in fin. seq. Non tamen euincunt, in clientela, ante communis concessionem manus alienabili, per simultaneam inuestituram ius conferri, libertatem impediens alienationis, ita, ut beneficium tantummodo in praeiudicium Domini, non simul inuestiti, alienabile censeatur. Etenim vasallus et simul inuestitus communionem vtilis ineunt dominii, quo pacto simul inuestito iisdem ceditur conditionibus condominium, quibus ceditur vasallo dominium vtile. arg. D E C. E L. S A X. LXVIII. HORN Decad. Obseru. Feud. C. IX. n. 8. Neque vero pactum inuestiturae adiectum



ie<sup>c</sup>tum tantum ius ex conuentione descendens producit, sed et conditionem continet, qua dominium transfertur. Cuiusmodi qualitas vt ipfi cohaeret dominio, ita rem afficit feudalem, non fecus, ac alia qualitas, quae, ad naturalia pertinens beneficij, tertio tam nocet, quam prodest. Quin non deficit consensus simul inuestiti in clientelae qualitatem, quae fuit tempore peractae inuestiturae simultaneae. Dum enim negotium vniuersum a Domino, vasallo, et simul inuestito peragitur, non potest non fieri, vt vasallus et simul inuestitus easdem adprobent conditio-nes inter se, quae inter Dominum et vasallum, nec non Domi-num et simul inuestitum sunt adprobatae. Qua enim fronte simul inuestitus valorem pacti, inuestiturae adiecti, negabit vasallo aduersus se, quem sibi adserit contra Dominum? Quem si neget vasallo, in propria grassatur viscera, et consecu-tionem struit, sibi ipfi aduersam, scilicet ius, ex pacto Do-mini et vasalli descendens, sibi non competere, neque sub ea-dem lege, verbi caussa, facultatis feudum alienandi, se inue-stitum esse.

Etsi in duabus speciebus prioribus supra recensisit hypotheca tacita iure Saxonico Electorali non credatur data vxori, ob dotem in feudum versam, nec filiae, ad dotem ex beneficio de-functi parentis consequendam: attamen vtrumque debitum secun-dum Germaniae mores est onus feudi, HORN I. F. C. XXI. §. 12. seq. TITIVS teutsch LehnR. C. XVII. §. 39. 48. ad cuius solutionem quilibet successor aequitate obstringitur iu-ris, ita, vt, alia deficiente actione, actio in factum, vid. l. 21. d. praescr. verb. aduersus ipsum competit, ad exemplum actio-num, quae sunt in rem scriptae. STRYCK d. obligat. feud. con-sens. munit. C. I. HORN I. F. C. XXI. §. 3. HARTM. PISTOR. P. II. Q. 37. n. 9. CARPZOV L. IV. Resp. 66. Cuius

Cuius cauſſa non ex ſucceſſione quadam vniuersali, quam A B  
**EYBEN** *Elecf. feud. C. VII. ſ. 8.* ſingit, repetenda eſt, quip-  
pe quaē ſimul inueſtitio perinde non conuenit, atque non congruit  
Domino, cui feudum aperitur. Nec iure **SANDII** doctrinam  
A B EYBEN ſequitur, quum **SANDIVS** in locis ſit verſatus,  
quibus feuda conditionem habent hereditatis. **LYNCKER**  
*Anal. ad STRVV. S. I. F. C. XIV. apb. 5.* Verum enim vero  
quilibet in clientelam ſuccedens quaſi contrahit, et, quamuis  
ut heres non ſuccedat, nihilominus per acceptationem feudi  
ſeſe obſtringere cenſetur, ad onera iſta exſoluenda. **STRYCK**  
*E. I. F. C. XXI. qu. 1.* Ad quae quum ſecundum mores Ger-  
maniae, ante Ordinationem Proceſſus Saxonici veterem, per-  
tinuerit dos ab vxore illata, et elocatio filiarum vasalli dece-  
dentiſ, hinc Serenifimus Saxoniae Elector in dicta Ordinatione  
vtrumque hoc debitum, niſi pignoris iure taciti, faltem iure  
praelationis donauit, neque ſimul inueſtitis eadem proſpexit ra-  
tione, qua iis nouum hypothecae legalis onus, in gratiam mi-  
norum et piarum ſtatutum cauſſarum, noluit praeiudicare. Quam-  
vis vero laudatum ius praelationis filiabus per Ordinationem  
recognitam ademtum, neque in **MANDATO ELECTORALI**  
*d. d. 24. Septembr. CIO IO CC XXXIV.* reſtitutum dicatur:  
attamen ius, dotem debitam a quoquis feudi ſucceſſore exigendi,  
etiam ante Ordinationem Proceſſus Saxonici veterem competens,  
ipsiſ per Ordinationem recognitam non eſt ademtum. Inde in iſpa  
clafſe creditorum chirographariorum potiori, prae reliquis ad allo-  
diū tantum concurrentibus, vtuntur iure, dum iſpiſ ex beneficio  
ſatisfactio eſt praeſtanda, idque merito exprimitur in ſententia, qua  
creditorē ſecundum prioritatē locantur. Nam de pretio beneficij  
ſub haſta venditi debita feudalia, ad quamcunque referantur clafſem,  
ſunt ſoluenda, nec, niſi residuum pretii denuo in feudum impendi  
debet,

\*\*



debet, in quo simul inuestitis porro communis est quaerenda manus.  
O. P. S. R. ad Tit. XL. §. 3. Plura dicere vetat is, cuius causa  
haec adornata est scriptio, Vir praeclarissimus,

M. F R I D E R I C V S A V G V S T V S I V N I V S, qui, natus Lipsiae d. XVIII. Aug. anno huius seculi XIX. patre M. V L R I C O I V N I O, Mathematico Regio, et Mathematum in hac Academia Professore Publico, nec non matre, A N N A E L I S A B E T H A, ex gente O L E A R I O R V M, praeematuram parentum desideratissimorum mortem dolet, verum tamen grata agnoscit mente, M. I O A N N I C H R I S T O P H O R O H E B E N S T R E I T I O, postea in ciuitate Neostadii ad Orilam sacrorum antistiti et pastori, primam pueritiam formandam fingendamque fuisse traditam, nec non, parentibus ad meliorem euocatis vitam, tum nouercam indulgentissimam, A N N A M E L E O N O R A M, natam I A C O B E A M, patri quinque ante mortem annis secundis iunctam nuptiis, quem F R I D R I C V M M E N Z I V M P. P. nec non I A C O B I, Doctorem Medicinae iam beatum, paternam in ipso educando subiisse curam. Cui curae porro adscribit, quod felici successu tam priuatis S C H M E I S S E R I, O P I T I I et K R A M E R I, Philosophiae Magistrorum, et nunc diuinorum oraculorum in suo cuiusque grege interpretum, institutionibus commissus, quam nactus fit publicos praeceptores, in ludo litterario ad aedem diui Nicolai hic florente, viros amplissimos, D R E S S L E R V M, iam beatum, O R T L O B I V M, et H A L T A V S I V M, ad studia sua perpolienda nihil praetermittentes. Ad altiores deinde scientias et disciplinas addiscendas tendens, Academiam petiit patriam anno C I C I O C C X X X X V I I. a W A L T H E R O, Magnifico tum Rectore, in album ciuium relatus. Inde lectio-nes philosophicas et auunculi sui, beati O L E A R I I, et M U L L E R I, oratorias G O T T S C H E D I I, mathematicas beati

R I C H -

RICHTERI, medico-forense et anatomicas affinis HEBEN-  
 STREITII, historicas IOANNIS IACOBI MASCOVII,  
 IOECHERI, MENZII, KAPPII frequentauit. In ICto-  
 rum castris optimos sectatus est duces, IOANNEM FLOREN-  
 TEM RIVINVM, laudatum MASCOVIVM, FEVSTE-  
 LIVM, memoratum MULLERVUM, KAESTNERVM, HOM-  
 MELIVM, SIGELIVM, NAVNDORFFIVM, TRAVGOTT  
 THOMASIVM, MENCKENIVM, ius Publicum, Beneficia-  
 rium, Ciuale, Canonicum, Criminale, Saxonicum, modum pro-  
 cedendi in iudicio, et artem acta referendi tradentes. Quorum  
 omnium collatam in se operam, officia et prolixam praedicat vo-  
 luntatem, nec minus iucundam colit memoriam exercitiorum  
 disputatoriorum, philosophicorum et iuridicorum, a laudato  
 OLEARIO, et ERNESTO HENRICO MYLIO institutorum.  
 Postquam anno CIO IO CC XXXXI. liberalium artium Magister cre-  
 atus est, superiorem Philosophorum consendit cathedram, Dis-  
 sertationem, *de sportulis Romanorum quotidianis*, proponens. Bi-  
 nas praeterea commentationes amicis dicatas, alteram, *de studiis*  
*Magistri ICto maxime necessariis*, alteram, *de annulo Romanorum*  
*sponsalitio*, publici fecit iuris. Iam ante biennium ad examen,  
 quod pro Candidatura vocant, ab Ordine nostro est admissus.  
 Quod sicuti cum laude superauit: ita ab amplissimo huius Ciuitatis  
 Senatu dignitatem et iura Notarii Publici Caesarei accepit, su-  
 periori anno a Potentissimo Poloniarum Rege et Electore Saxo-  
 niae, Domino nostro clementissimo, facultate cauffas in foro pero-  
 randi ornatus. Nunc instat dignitas Doctoralis, qua post peractum  
 examen, quod dicitur rigorosum, dignus euasit. Is igitur in au-  
 ditorio ICtorum crastina luce hora secunda pomeridiana, lectio-  
 nem cursoriam ad *L. i. C. d. officio Iuridici* habebit, die se-  
 quenti Dissertationem inaugurelam, *de forte remedio subsidiario*  
*cauffas dubias dirimendi*, sine Praefide defendens. Quo facto

QK 9711

X3155458

XII.



collega aestumatissimus, D. DIETERICVS GOTTHARD ECKARDT, Facultatis Iuridicae Assessor, in quem vice Cancellarii potestatem promouendi transtuli, summos in utroque iure honores et priuilegia Doctoralia, excepto iure ad sessionem et suffragium in Collegio nostro adspirandi, ipsi conferet. Quam panegyrin ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, et utriusque Reipublicae proceres praesentes ornent, Generosissimi et Nobilissimi Academiae ciues vero simul celebrent, ea, qua decet, obseruantia contendeo. Dab. die Dominic. XVI. post Festum Trinitatis CIO IO CCXXXXVI.

---

LIPSIAE

EXCVDEBAT IO. GOTTL. IMMAN. BREITKOPF



M.C.

B.I.G.

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

Black  
White  
3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

de Hypotheca Facila secundum  
Ius Saxonicum.  
183. 13  
PRO-CANCELLARIVS  
IOANNES GODOFREDVS  
BAVER

S V M M O S

IN VTROQVE IVRE  
HONORES

PRAECLARISSIMO CANDIDATO

M. FRIDERICO AVGVSTO  
IVNIO

LIPSIENSI

D. 27. SEPTEMBER. CICCI XXXXVI.

TRIBVENDOS

INDICIT.



V  
717

